 ego suz: ac si dixissẽ capite ergo me vt ptãs tenebrãz que in uobis  
 viget p me destruatũr qui sũ vera lux mũdi. Quãquidẽ vt bonũ de  
 cet pastorẽ animã meã pro ouibõ meis dare festino. Uex o freneti  
 ci finite hos meos discipulõs abire quoniã mei solõ e redẽptio. In  
 qua iudex viuoꝝ 7 mortuoꝝ ostitũtõ meis imperiũ sine fine dabo  
 Uobis vero cũ principibõ vr̄is eterni supplicij cruciatõ solõ. n. illõ  
 est qui ex uiuo p̄re e pro omniũ vita carnem tradere suã. igitur se  
 mouit a piculo dñs discipulõs ñ ignoãs ad se solũ opõ salutis nr̄e  
 p̄tinere. regnãtis poro 7 nõ seruiẽtis opõ tã singule e. Jussit et vt  
 linerẽt abire discipulõs vt impleretur sermo quẽ dixit. quos dedisti  
 mibi ñ pdidi ex eis quẽq; qd̄ etiã de posterioribõ dictũ intelligitur  
 Mã qd̄ paucis factũ e quõ in pluribõ negligetur. 7 qui tã paucoꝝ  
 in tali tpe inter carnifices curã habuit quõ innumerabiles fide  
 les in p̄ris 7 extera residẽs nõ proteget. putãdũ tñ e illos paucos

h2

in quibus et celum nouum et terram nouam bonus artifex constitue-  
rat ut opus dierum in se innouatum in orbem terrarum diffunderet  
imaginem omnium fidelium tenuisse. Quod si diligentes se tam sol-  
licite a periculo liberat odientes quoque accurate supplicio dabit.  
At vero cum euangelista dixerit Petrum hoc in loco gladium non modo  
educisse verum etiam seruum pontificis percussisse eius dexteram ampu-  
tasse auriculam et id non vacare a mysterio credamus. Benignitati  
vrae graue non accedat patres si pauca ex multis excerpsero. Pre-  
sertim cum ipse dominus Petro dixerit quasi increpando in alio euange-  
lio Qui gladio ferit propriam. scilicet querens vindictam gladio perit quo  
dispositioni diuine rebellis fuit. An putas non possum rogare patrem  
et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum. Possum  
utique sed non debeo reluctari diuine voluntati cuiusque utilitati. Traire  
ubi officium boni pastoris susceptum complere debeo caritate per-  
fecta cuius est animam pro ouium vita dare. Et in isto euangelio etiam  
Mitte gladium tuum in vaginam Calicem quem dedit mihi pater non vis  
ut bibam illum. Ex quibus verbis multi tum hereticorum tum tyrannorum  
diuersa sub pallio bonitatis contra huius prime sedis potestatem in me-  
dium adduxere que facile principibus ac fine cognitis ruere possunt.  
Non enim ut aiunt in carnalia sunt arma nostra hoc dicit Apostolus  
Ideo cum effugere pericula non possumus mansueti nobis loquendum  
ertare vel patienter tolerandum esse asserunt. cum multo melius sit in  
isto iudicio rationem reddendam relinquere quam pietatis causa nostri sangui-  
nis exquirere ultionem. fateor enim hoc verum esse cum sanguinis nostri  
vindictam requirimus. quoniam contra dominicum preceptum esse reperitur  
Nam si alterius euangelij verba Petri ad christum ne passionem subi-  
ret huic educationi gladii adiunxerimus. Quibus dicit Propitius  
esto tibi domine ne fiat tibi hoc. Et responsionis verba voluere nobis  
secum curabimus dicentis. Uade retro sathana scandalum mihi quia non  
sapio ea que dei sunt sed que hominum. Clarissime intelligemus dominum  
non usum potestatis etiam in utroque gladio redarguisse sed ab usum  
prohibuisse. Quod etiam roboratur ex verbis domini ad Pilatum dicen-  
tis: Non haberes in me potestatem ullam nisi desuper tibi datum esset.  
potestatem enim hic datam Pilato dicit. quia consilio patris nullo mo-  
do in passione reluctatus est. Et abusus quippe est quoniam Petrus  
suorumque successores canonice intrantes gladium educunt in passione  
proprij desiderij contra eorum bonum et diuini consilij dispositionem.  
Sed contra eorum bonum erat ac diuini consilij dispositionem quod christus  
non pateretur prout ex premissis satis colligere potuimus. Ergo ut  
suum et non Christi reponeret gladium merito admonendus vene-

rat. Bona intentio: sed malus finis. Bona intentione Elias cupiebat mortem sacerdotibus idolorum. Bona intentione Saulus persequabatur ecclesiam dei: quia uterque zelo paternarum legum. Sed non in turbine. non in ira. non in igne. non in furore dominus: sed in aura tenui. in mente utique pacifica et humili in qua divina residet voluntas. Illo dicente super quem requiescam: nisi super humilem et tremulentem sermones meos. Unde etiam dominus ipse discipulos arguit cum ignem de celo imprecari vellent: dicens. Nescitis cuius spiritus sitis. Dei enim perfecta sunt opera: et omnes viae eius iudicia. Ideo multa possumus in suscepta potestate que sine non cognito moderari debemus. Quamobrem cum ministri diabolice potestatis Jesum contumeliosis affectum ligatum ad Annam primo tanquam ad artificem insidiarum: pactoque pecunie proditori ducerent. Petrus quasi emendatus ut instructior fieret: ac ut videret, finem sequebatur a longe. finem expectabat Petrus nescius ut resurgeret. Et proditor sciens ut laqueo se suspenderet. Mira res Magister et dominus ac dei filius voce patris de celo clarificatus: qui paulo ante Lazarum a morte suscitauerat: qui aquam in vinum conuerterat: qui ceci nati oculos aperuerat: et cetera huiusmodi quae plurima fecerat. Qui viam veritatis et vite in primo homine perditam inuenerat. ac benefaciendo per uniuersam Iudeam et sanando que ventura erant tam super Synagogam pro eius preuaricatione quam super se pro salute multorum predixerat. A discipulis deseritur fugientibus. De quibus David. Omnes amici mei dereliquerunt me et ego relictus sum solus. Solus propter me derelictus es domine inter impios crudelissimosque ac rabidos canes. Propheta. Circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me. Deum mihi peccatorum: qui quotiens tibi pulsanti ad ostium cordis mei non aperui. Te solum peccatis meis circumdatum ab extra reliqui. Uerum a Petro etiam qui tanta de se tibi pollicitus erat Ancille unius hostiarie voce perterritus negaris pie domine. Sed negaris domine a Petro qui. Cephas a te in terris constitutus erat: ut qui te negando in se ruens minor omnibus factus erat. Ad tuum intuitum in te fortior ceteris per, veram humili-

litate[m] resurgens amare flendo maior omnibus & supra omnes  
& pro omnibus inter te & ecclesiam in qua non est ruga neq[ue] ma-  
cula: tuo preciosissimo sanguine hac die acquisitas positus esset ut  
in potestate clauium sibi tradita: & cura ouium tui oculis comissa  
in te uiuens & non in se quasi in terris deus conspicuus formam  
haberet discipline. quam ceteris prestare non in pecuniarum que-  
stu. non in pompa. non in luctu. non in gloria inani huius seculi.  
nec in lasciuientis corporis mollitie: sed in lucro animar[um] tam ma-  
gno pretio hodie emptarius. De quo Apostolus Empti enim estis  
pretio magno glorificate & portate deum in corpore uestro. Et pro-  
pterea ipse tanto habitatore dignus effectus tua gratia, clamabat  
Uiuo iam sempiterna. s. uita sed non ego. Uiuo uero in me Chri-  
stus. sic o Christe etiam in me ut hac uita semper uiuas summe ex-  
opto. quem nunc predico. quem desidero. quem tota mente concu-  
pisco ultra quem nihil scire confessus sum. Miser Judas quia a  
supremo culmine apostolatus cecidit quando tringinta argente-  
os huic uite preposuit. Hec q[ui] multi domine nostris etiam tem-  
poribus tua uenalia facientes a supremo culmine corruunt. Et  
miserior Anne & Cayphe summorum pontificum iniquitas: qui  
questui & non profectui de subiecta plebe inbiantes tam uili pre-  
tuo & sanctum sanctorum appetiati sunt ut cessaret illorum unctio  
& effectus corresponderet figure ac ostenderet quia ex patre dia-  
bolo essent cuius opera faciebant. De quib[us] bene Esaias prophe-  
tauit. Expectaui ut facerent iudicium & fecerunt iniquitatem pro  
qua certe iusto tuo iudicio factum est: ut uineam populi tui quas  
nimis auare & sitibunde quotidie non seruato legis: nec nature or-  
dine: nec dignitatis decore vindemiabant. perderent & eterni sup-  
plicij cruciatus subirent. Sed miserrima magis ac magis scriba-  
rum inflata doctrina Phariseorum simulata Religio & sacerdo-  
tum leuitarumq[ue] luctuosa rabies in qua legis diuine sana doctri-  
na & salute propria reiectis. In cathedra pestilentie & impietatis  
sedere reperti sunt quando impietati ac iniustitie suorum ponti-  
ficu[m] adherentes tuam hereditatem assequi sperantes quasi te in-  
terempto dum non esset qui iustitie fructus a populo quereret. ne-  
glecta iustitia. populi possessio. tota ipsorum fieret ad illorum per-  
tinens lucrum. Pro consilio illud Hieremie dixerunt. Compre-  
hendamus uirum iustu[m] quia inutilis est nobis et strari opibus

nostris. promittit scientiam dei se habere et filium dei se nominat  
 ut sciamus reuerentiam illius. probemus patientiam eius. morte  
 turpissima condemnemus eum. **O scelus O prauum consilium** be-  
 ne de nobis locutus est **Oseas** dicens **Ego erudiui eos et confor-**  
**tavi brachia eorum et ipsi cogitauerunt in me malitiam. reuersi sunt**  
**ut essent absque iugo et facti sunt quasi arcus dolosus. in quo ex-**  
**probantes et conspuentes in faciem tuam domine decoram nimis**  
**in quam desiderant angeli conspiceri. Percusserunt maxillam tu-**  
**am et saturati sunt penis tuis quando te mitissimum agnum diu-**  
**et crudelissime dilaniatum. flagellatum. consputum. derisum. ve-**  
**latum. arundine percussus. et spinea corona coronatum usque ad cerebri**  
**intima. et ab Herode delusum. et Dilato miseris ipsis iudeis accla-**  
**mantibus Crucifige Crucifige. et ut Barrabam latronem dimitteret**  
**et te Jesum innocentissimum morti traderet ad crucifigendum su-**  
**sciperunt. Hec me miserum et indignum speculatorem in tua ec-**  
**clesia: quia in tantorum unguentorum odore et virtute hactenus**  
**nimis negligenter ambulavi. Bene in te Esaias pro hac die lo-**  
**quebatur dicens Non sum contumax nec contradico. corpus me-**  
**um dedi percutientibus. et genas meas vellentibus. faciem meam**  
**non auerti ab increpantibus et conspuentibus in me. Ideo ruit Je-**  
**rusalem et Judas concidit quia lingua eorum contra dominum.**  
**Hec bis contenta malis Judaica impietas o Patres opt. ut ad**  
**vos mea reuertetur oratio que ad finem properat et festinat. inter**  
**iniquos in Caluarijs cruci affixerunt ut impleretur scriptura que**  
**dicit Inter iniquos deputatus est. Et alibi. foderunt manus me-**  
**as et pedes meos. dinumerauerunt omnia ossa mea. i. dinumera-**  
**bilia fecerunt. Ipse vero considerauerunt et inspererunt in me. di-**  
**uiserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sor-**  
**tes. Ex quibus omnibus premissis colligere possumus quam ma-**  
**ximum sit obedientie bonum et non minus quantum inobedien-**  
**tie malum. Nam per inobedientiam primi hominis ut diximus**  
**perierat mundus. et per obedientiam secundi hominis Jesu Chri-**  
**sti saluatus est mundus. Ille inobediens ad lignum vetitum ac-**  
**c. lit: Iste obediens lignum crucis ascendit. Ille accedens rapuit**  
**quod non debebat. Iste ascendens que non rapuit tunc exolue-**  
**bat. Cuius solutionis magnitudinem Prophetas pro Christi hu-**  
**manitate exprimere videtur voce ingenti clamans Saluum me**

fac deus quoniam intrauerunt aque vsque ad animam meam. Cuius etiam solutionis grauitatem pre se tulit sacerdotum aliorumque incomparabilis crudelitas quando conuictiati sunt ei quando profusa dederunt fel et in siti suo potauerunt eum aceto isopo circumponentes. Et cuius denique solutionis Caritatem virtutem et operationem suscepimus: quando patrem pro trucidarijs carnificibus orauit. quando eidem spiritum suum id est ecclesie sue unitatem commendatum reliquit. quando omnium profectum et salutem se sentire clamauit. et quando etiam latroni in typum electorum omnium dixit Hodie mecum eris in paradiso. O mirum mirandumque latro suscipitur: et vinea electa Sabaoth reprobatur. latro exauditur et synagoga reicitur. latro in paradiso de sua confessione coronatur et sacerdotium Iudeorum sua pertinacia dignitate ac potestate priuatur. et latro denique in ecclesia magna gentium diues et laude dignus efficitur: et templum et ciuitas et gloria iudeorum et libatio destruitur et vltime perditioni datur Iobiel dicente: Interijt de domo dei nostri sacrificium et libatio. Et merito quidem: quoniam prospera hac sacratissima die Christo in contrarium cedunt: vtilia perniciem operantur. quando quidem plus Christus domesticis quam inimici iaculis leditur. plus proprio quam hostili ense perimitur. plus synagoge quam externo gladio vulneratur. Nam quando synagoga de abnegatione suaque mala actione mortis sententiam incidit. tunc Centurio dicens Vere filius dei erat iste viam vite adinuenit. imaginem omnium gentium in se prefigurans. Verum et sol radios suos subtraxit subduxitque. terra tremuit. mare concussum est. velum templi scissum est. multa corpora sanctorum resurrexerunt. et denique omnis creatura hodie suum cognouit auctorem. sola misera iudeorum obstinatio in suo permansit errore secum adhuc portans improperium et miseriam vsque quo veniat plenitudo gentium et consumetur iniquitas. pro qua abolenda in cruce exaltatus Jesus noster voce magna clamauit Consumatum est. Consumata utique hodie est natura. consumata scriptura. consumata figura. consumata pena. consumata culpa. consumata denique principis tenebrarum potentia. consumata victoria. In qua quidem victoria Patres Clarissimi omnium sanctorum victoria in Christo consumata. confirmata. sublimataque fuit vsque ad seculi consumationem ut sit laus eius in ecclesia sanctorum et sit deus omnia in omnibus pro qua ipse dixerat: Ecce vobiscum sum

115

omnibus diebus. i. in vobis & pro vobis pugnans vsq; ad confir-  
mationem seculi. Et alibi nō vos estis qui loquimini sed spiritus  
patris vestri qui loquitur in vobis. Cuius etiam spiritus operatio-  
nem a nobis obseruandam & formā in se ostēdit dicens Nō pos-  
sum a me facere quicq; sed sicut mandatum dedit mihi pater sic  
facio. quasi diceret secundum legem mihi a patre traditā omnia  
mihi disponenda sunt. quanto magis a legis ministris id faciun-  
dum extat: quia lex spiritualis est. Pro cuius consideratione digne  
assequenda sic David fortis orabat Reuela domine oculos meos  
& considerabo mirabilia de lege tua. O q̄ maxima mirabilia hu-  
ius legis tue domine extant: cuius legis spiritu vi & virtute vica-  
rarius Christi in terris vt illius minister mundo dominatur quē  
spiritum hodie patri in cruce ideo cōmendauit vt ipsius spiritus  
administratores in exequendis semper cum Christo dicerēt Mea  
voluntas nō est mea sed eius qui misit me patris ad oves pascue  
sue regendas veraq; charitate pascendas. Cum nullus summorū  
pontificum dicere possit in his aliquid ad eum spectare aut perti-  
nere nisi qd a Isropheta cantatur Exaltationes dei in guttur eo-  
rum. In gutture dixit: quia sicut in materiali corpore nostro a ca-  
pite per guttur nutrimentum & vita descendit. sic a capite nostro  
Christo per vicarium suum vita & nutrimentum animarū totius  
corporis sui mystici ecclesie descendit. Et sicut in materiali corpo-  
re si plus fluxerit nutrimenti in vno membro q̄ decens sit turpe  
sit & pernitiosum toto corpori: sic & corpori mystico Christi turpis-  
simū & pernitiosissimū accedit si non seruato ordine capacitatis &  
officij membrorū in iustitia. doctrina. religione. virtute. & experien-  
tia plus dignitatis. substantie. honoris & preeminentie alicui da-  
tur q̄ decens sit. In qua certe ordinis peruersione cathedra pesti-  
lentie exaltatur. pes superbie firmatur. & manus peccatoris robo-  
ratur. A quibus se desuper liberari Isropheta pro iustorum eccle-  
sia precatur dicens Non veniat mihi pes. i. affectus supbie. & ma-  
nus. i. operatio peccatoris nō moueat me. s. a via immaculata. Et  
hoc quia ibi ceciderūt omnes tam angeli q̄ homines qui operan-  
tur iniquitatem. Sed confusi sunt nec potuerunt stare hodie q̄  
dominus fortis & potēs Christus noster & Rex glorie talium im-  
piorum superbiam & ignorantū portas & operatiōes iniquas sua  
virtute ac celestis doctrine splendore in qua nihil fucatum. nihil  
falsum. nihil leue aut turpe: aut ambitiosum reperitur confregit.  
& prostravit. Et hinc est qd ab ipso Isropheta Beat⁹ vir ille can-  
tatur qui non abijt in consilio impiorum & in via peccatorum nē

stetit et in cathedra pestilentie non sedit. Non enim potest humana natura maius aliquid quam ipsa concipere possit de deo dicere aut sentire. nostro enim proprio modo et intelligimus et loquimur ex his que in nobis sunt quasi per exempla maiora hoc est diuina intelligentes. sicut qui in minima carta celestem circulum describunt nescientes a scientia dei scientiam nostram tantum superari: quantum in creata natura creatam excedit. et sicut rationalium creaturarum ultima est homo sic et cognitio sua infima erat. Cum neminem lateat infinitam atque incomprehensibilem dei scientiam esse cuius cognitionem et spiritum intelligentie per doctrinam Christi accepimus in apostolis: quorum sensum ad intelligendas scripturas non prius in illis aperuit quam omnia que de ipso scripta erant etiam in ipso impleta essent: hoc est quod caput cum pedibus et intestinis veri agni vorarent. id est eum deum verum et hominem verum esse crederent. et quecumque de eo scripta sunt digne et fideliter susceperent. Nec minus de virgine natum et circumcisum et veraciter passum et die tertia resurrexisse et reliqua omnia que de ipso scripta sunt indubitanter crederent. et hoc est intestina vorare occulta scilicet credere que inter diuinitatem et humanitatem asseruntur. De quibus propheta Incerta et occulta sapientie tue manifestasti mihi. Cuius sapientie promulgatio in platea collis caluariarum hodie facta fuit et scripture perfectio quando vnus militum lancea latus eius aperuit Job dicentis Confinxit me et posuit me quasi signum. circumdedit me quasi gigas et vulnerauit lumbos meos occidit me vulnere: et vulnere lancee super vulnere clauorum a quo continuo exiit sanguis et aqua. vt sanguis ad precium et aqua ad lauacrum fieret. De quo propheta. flumina aque viuentis egredientur de corpore ipsius. Impleta fuit scriptura hodie Hieremie quando traditus fuit sepulture qua dicitur Posuerunt lapides super me: conclusit vias meas lapidibus quadris. Impleta fuit etiam scriptura hodie Osce quando in propria virtute descendit ad inferos et inde captiuas animas educens precio sui sanguinis emptas tertia die cum gloria resurrexit a mortuis. In qua scribitur: Ego vadam et capiam et tollam et non est qui eruat. Videns reuertar ad locum meum. Videns reuersus est ad locum corporis sui patres. et caro eius non vidit corruptionem. Et videns reuersus est quia ipse est formosus in stola sua gradiens in multitudinem virtutis sue. De qua scribitur. Et virtus de illo exibat et sanabat omnes. In qua quidem virtute recte iam dicere potest. Tocular veri sacrificii immaculate ecclesie et veritatis eterne calcant

solus & de gentibus non est vir mecum. Veruntamen qui virum non habuit. **I**psa op. in tam duro torculari calcando: mulierem fortem: virginem matrem non labilem: non caducam vt primam secum assumpsit vt haberet adiutorem sibi similem: in quo adiutorio sic nobis dominus sub arbore mire amaritudinis per effusionem sui preciosissimi sanguinis suscitauit qd anima **M**arie que plus in amato qm in animato fixa erat. Ita dolore inexplicabili transfixa fuit: vt vere in ea **P**ropheta completa fuerit **S**ymeonis dicentis. Tuam ipsius gladius pertransibit animam. Tui ipsius inq; o **M**aria animam non corpus gladius in diuersa secando pertransibit. Ut dolores quos in filii partu euasisti in diuersorio: in crucem filii transformata copiosissime susciperes et haberes in tanto pondere & mensura quantum decens erat partui tantorum filiorum **E**ue quos vite gratie plene vt viatrix passioni filii dilecti compatiendo & quopando parturisti. De quo **E**saias. Numqd parturiret terra vno die. aut omnis gens vice vna. **O** durissimi partus comutationem. **O** inenarrabilem tante matris dilectione summe supremeq; charitatis effusionem. in qua nos pditos eterno patri restitui ta ingenue curauit. De qua **A**mbrosius. Stabat iuxta crucem **M**aria non vt laborem filii tantum consideraret: sz vt salutem etiam humani generis expectaret. Ergo sola stabat. quia corpore & corde fidei & pietate: cognitione & cooperatione sola assistebat. vt mater. vt sola mater. vt vnici filii mater. vt omnium peccatorum mater. vt impotens ad filium iuuandum. & potes pro nobis ad impetrandum. vt deniq; triplicato amore ebra naturali acquisito & gratuito in quo martirium passa est sermonis voluntatis & perseuerantie sermonis: domino dicente. Ecce filius tuus. De quo **B**ernardus. **O** maria. **O** amaritudine plena. Vere gladius istius sermonis fuit diuidens vsq; ad anime & spiritus diuisione. **O** comutatio **J**ohannes pro **J**esu. seruus pro domino. discipulus pro **M**agistro. filius **z**ebedei pro filio dei. purus homo pro deo vero. voluntatis quia semper ad mortem subeundam parata fuit. Canonis cum **P**ropheta. Voluntarie sacrificabo tibi domine quoniam bonum est. **P**erseuerantie vero quia qd diu in mundo fuit passionis filii dilectissimi memoria fasciculus mire amariss. me sibi extitit. In quo pro nobis immaculati cordis sui holocaustu deo patri offerre continue non cessabat. nec adhuc utiq; cessat gemitibus inenarrabilibus filius interpellans pro nobis. Nec tanti beneficii immemores ingratosq; dies extrema nos inueniat. **T**eruz enim vero. **P**. Reuerendissimi quoniam orationis modum exce,

derem: si etiam pauca ex multis de quo potione ipsius gloriose vir-  
ginis in medium adducere vellem si dixerimus nullius diei cele-  
britatem huic diei sanctissimo preponendum fore non mentiemur  
Nam ubi maiora consilia. ubi profundiora mysteria. ubi excelsio-  
ra iudicia fuerint non inuenio. In hac die tractatum est de origi-  
ne dignitateque humane nature. de eius lapsu. de incarnatione filii  
dei. de mundi inuolutione. de humani generis restauratione. de  
diaboli expulsionem. de statu. dignitate. auctoritate sacramentis de-  
sponsatione ecclesie. de primatu sedis apostolice. de usu et ab usu  
se dentis in ea. de eternitate regni. de assumendis ad regimen tan-  
ti regni. de Christi sudore et sanguine pro illo nobis acquirendo.  
de morte per crucem. de inferni spoliatione. de sanctorum libera-  
tione. et de celestis patrie recuperatione. Hodie reuelatum est consi-  
lium quo mors occideretur. quo originale peccatum tolleretur. quo  
vita redderetur et homo de diaboli seruitute liberatus. et a deo in  
filium adoptionis susceptus in antiquam patriam reduceretur. Ho-  
die homo creatus est. hodie lapsus est. hodie Christus passus est  
hodie verbum caro factum est. Quod quidem nisi factum fuisset  
numquam nasceretur. numquam pateret. numquam resurgeret. numquam infernum  
spoliaret. numquam Celos ascenderet. numquam spiritum sanctum Apo-  
stolis mitteret. in quo baptizati sumus. in quo et per quem fit remis-  
sio peccatorum. In quo et per quem in tantorum bonorum copia  
Christi sanguine et sanctorum acquisita impinguati et dilatati. in  
quo et per quem in supremo culmine potestatis et dignitatis ideo  
positi sumus: ut officium veri pastoris in dominici civilis cura cum  
ipso summo et vero pastore Jesu Christo complere omni opera et  
studio curemus ne tanti beneficii gratia indigni inueniamur.  
Quod fiet. **Id. B.** si profectum de plebe nobis commissa ut diximus  
perquiremus et in lege ac passione ipsius meditabimur die ac no-  
cte. Ac etiam diligentius vehementiusque solito perditas oves **Pa-**  
triarum ecclesiarum et aliarum que pro nefas negligentia  
et ignorantia **Pre-**latorum ad manus infidelium turpissime per-  
uenerunt recuperare ac proprio sanguine in crucis victoria et trium-  
pho prout modo Christianissimi Hispaniarum **Reges** fecerunt.  
vilitati ecclesie reddere curabimur ne negligentie ingratitudeque  
reos nos diuina inueniat ultio: eternoque igni cruciandos tradat.  
Quia Christus iudex viuorum et mortuorum ille est qui eterno pa-  
tri dixerat. Quos dedisti mihi non perdidit ex eis quemquam. Quasi  
diceret: Si ergo qui dominus sum neminem ex mihi commissis per-  
dere curam. Quid si seruus aut minister cui cura vniuersalis aut

particularis ecclesie commissa fuit perdidit. aut perditas alicorum  
 negligentia recuperare neglexerit. Juxta illud. Non veni nisi ad  
 oves que perierant. s. negligentia aliorum. Profecto sanguis ipso  
 rum potenter de manu sua requiretur: quandoquidem potentes  
 potenter tormenta patientur. Verum quia non sumus sufficien  
 tes a nobis quasi a nobis. Sed sufficientia nostra cum Apostolo  
 a deo est ne pereamus de via iusta. Ad signum victoriae salutis et  
 glorie nostre iterum conuersi per assensum purpureum media ca  
 ritate constratum illuc gradientes. vbi totus homo noster sanus  
 factus est. ne deterius quid nobis contingat improprium et mi  
 seriam impotentie. ignorantie. calamitatisque nostre nobiscum por  
 tantes humiliter prostrati intueamur vulnera pendentis. sangui  
 nem morientis. pretium redimentis. cicatrices resurgentis. et pro  
 prius accedentes aduertamus quomodo caput habet inclinatum  
 ad osculandum. Latus apertum ad amandum. Brachia porrecta  
 et extenta ad amplexandum. Pedes fixos ad expectandum. Et te  
 nusque totum corpus expositum ad redimendum. ad illuminandum  
 ad tradendum ad bonum. et sine fine bonum. Et hec quanta sint  
 in cordis nostri amaritudine doloreque considerantes: ac sibi como  
 ri et consepeliri summe cupientes. Rogemus illius misericordiam  
 bonitatem et virtutem vt se totus ille nostro figatur corde. qui pro  
 nobis totus pependit in cruce vt inde de thesauro cordis sui diui  
 tes: et gloria resurrectionis in regno celesti participes et coheredes  
 fieri sua gratia mereamur. Quod nobis prestare dignetur ipse qui  
 cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula secu  
 lorum Amen. Dixi.

